

COMMENTARIOLUS
ARTICULUS CLXXIV.

Sacrilegium circa res minores commissum.

Si quis res sacras minoris pretii, utpote ceram, candelabra, linteamina, & alia ejusdem generis sine ascensione, & effractione, aut res privatorum depositas ex æde sacrâ abstulerit, hæc sacrilegia, ex circumstantiis differentibus, rectè distinctis & expensis, eadem pœnâ plecti debent, quæ in furtis rerû purè profanarum superiùs est ostensa. Minùs tamen misericordiâ judicamus hos, qui res sacro loco, quàm illos, qui alio quid furantur.

ARTICULUS CLXXV.

Personarum accurata consideratio.

Non minùs in hoc sacrilegii crimine, quàm aliis furtis, & delictis circumstantiæ perpendi debent, ut famis necessitas, ætatis imbecillitas, consilii inopia, similesq;. Quæ si legitimè probatæ, prudentis Judicis est, eas pronunciando attendere.

ARTICULUS CLXXVI.

Pœna & cautiones eorum, à quibus vis metuenda, & de eorum custodia.

Si quis propter minas alicujus, præsertim qui minas suas executioni mandare consuevit, si ab eo metuit, agere potest, ut sibi de non offendendo caveatur, quod fit, vel fidejussoribus, aut pignoribus, *Stephan. hic.* Imò & juratoria admittitur; si reus pauper, vel fidejussores, vel pignora habere nequit, modò bonæ famæ. Quod si reus non caveat, urgeat tamen necessitas, & periculum quasi ob oculos versetur, ob id carcere tamdiu detinendus est, quousque satis sufficienterq; fuit cautum, *Steph. hic.* Quod si propriis sumptibus se nõ possit sustentare, actoris erit de præstando lictoris salario, & captivi alimentis satisfacere. Ceterùm si actor tantum non habeat in ære, Magistratus sumptus ferat. Aliàs si captivus sub ejusdem, aut alterius Magistratus jurisdictione tantum habeat, unde sumptus necessarij possint desumi, ipsemet eos ferre cogetur, *Gobl. Zieritz. hic.*

ARTICULUS CLXXVII.

Pœna ope, consilioq; juvantium.

Si quis malefactori ad exercendum facinus, seu delictû sciens prudensq; malitiosè auxilium aliquod suppetias, & adjumentû, quocunq; id nomine appelletur, præstat, criminaliter puniatur. Sed, ut prædictum est, aliter alio in casu. Itaq; Judices in hujusmodi casibus cum informatione facti, & quæ pœna corpori, seu capitalis infligenda sit, ut supra ponitur, consultare debent, *Gobl. & Zieritz. hic, in auctario. & respectivè notis, verb. pœna ope consilio juvantium, item sciens, eadem pœna casuum diversitas, quibus omninò addendus Jac. Menoch. lib. 2. de A. I. Q. cas. 349. per tot. Steph. hic, n. 1. 2. 3. 4. 5.*

ARTI-